



P R A E F A T I O

AD

L E C T O R E M.

**A** Mice Lector compendiosum  
 tibi Libellum exhibeo, quæ  
 Ministeria viris Ecclesiasti-  
 cis maxime propria, qualia sunt,  
 Horas Canonicas privatim aut pub-  
 licè recitare, augustissimum Missæ  
 Sacrificium debite celebrare, clara  
 stylo & facili exponis. Totum namq[ue]  
 opus, ad pleniorẽ totius materiæ  
 intelligentiã, divisi in duas par-  
 tes; quarum prima agit de Horis  
 Canonicis: altera in duas sectiones  
 subdivisa, in prima per diversa ca-  
 pita sive subsectiones agit de Eucha-  
 ristia ut est Sacramentum; in altera  
 de eadem, ut est Sacrificium. Inve-

nies in parvo hoc opere, raras ac va-  
 rias doctrinas statui Ecclesiastico  
 imprimis accommodatas, quibus  
 addisces munia Ecclesiastica non  
 modò dignè peragere; verùm etiam  
 diversis dubiis ac scrupulis, qui in  
 sacratissimis hisce Ministeriis ho-  
 mini timorato facile occurrunt, te  
 levi negotio expedire. Erit proinde  
 hic tibi Libellus instar fidelis Dire-  
 ctoris, qui in sacris muniis tuis a-  
 genda doceat, & cavenda sollicitè  
 monstret. Hoc duce dignè ambulabis  
 vocatione tua, quâ vocatus es: &  
 faciens bonitatem delectaberis in  
 Domino, dabitq; tibi Dominus peti-  
 tiones cordis tui. Ps. 36. Vtere igitur  
 hoc labore meo ad supremi Numinis,  
 ejusque magna Matris ac Virginis  
 summam gloriam, tueque animæ  
 optatam salutem, & vale.